

# Benedizione papale impartita dai Vescovi, trasmessa per radio e televisione

---

*Si pubblica, per doverosa informazione, il decreto n. 578/85 della Penitenzieria Apostolica, trasmesso alla Segreteria della C.E.I. dalla Nunziatura Apostolica in data 20 dicembre 1985.*

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

## D E C R E T U M

Diversis ex locis ad Sanctam Sedem postulationes pervenerunt ut, quemadmodum ad salutis nuntium diffundendum instrumenta communicationis radio-televisifica frequentius et perfectius adhibentur — dono nimis providentis Dei, qui omnia in finem salutis dirigit — ita etiam ad spiritalia munera elargienda, quantum quidem ipsorum munerum natura sinit, ipsa deserviant.

Quod quidem determinate nonnulli Episcopi proposuerunt quoad Indulgentiam plenariam, adnexam Benedictioni papali, quam tenore Normae 11, §.2, *Enchiridii indulgentiarum* ter in anno Episcopi dioecesisi impertiri valent, ut scilicet eam acquirere possint christifideles, eorum curae commissi, qui, rationabili circumstantia, sacris ritibus, in quorum decursu Benedictio papalis impertitur, physice non adsint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione sequantur et eamdem Benedictionem accipient, suetis conditionibus confessionis, communioonis et orationis ad mentem Summi Pontificis rite adimpletis.

Propositam hanc vigentis disciplinae accommodationem Sacra Paenitentiaria libenter excipiendam censuit, ideo vel magis quia inde valde fovebitur aestimatio Indulgentiarum in populo christiano, qui ita se pie incitatum sentiet ad acquirendam vel augendam gratiam sanctificantem per Sacra mentem, et coniunctio animorum fidelium cum Episcopo magis firmabitur.

Itaque in Audientia die 13 huius mensis decembris infra scripto Paenitentiario Maiori concessa, Summus Pontifex benigne annuere dignatus est ut christifideles Indulgentiam plenariam ut supra acquirere possint et hanc concessionem publici iuris fieri decrevit.

Relatam Summi Pontificis decisionem Sacra Paenitentiaria praesenti Decreto ad effectum mandat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, ex Paenitentiaria Apostolica, die 14 decembris 1985.

ALOYSIUS Card. DADAGLIO  
*Paenitentiarius Maior*